

parum laboratur: nec in auctoribus cognoscendis nec in  
 evolvenda antiquitate nec in notitiam vel rerum vel homi-  
 2 num vel temporum satis operae insumitur. sed expetuntur  
 quos rhetoras vocant; quorum professio quando primum in  
 hanc urbem introducta sit quamque nullam apud maiores 5  
 nostros auctoritatem habuerit, statim dicturus referam ne-  
 cesse est animum ad eam disciplinam, qua usos esse eos  
 oratores accepimus, quorum infinitus labor et cotidiana  
 meditatio et in omni genere studiorum assiduae exercita-  
 3 tiones ipsorum etiam continentur libris. notus est vobis 10  
 utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur, in cuius ex-  
 trema parte (nam prior commemorationem veterum oratorum  
 habet) sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quan-  
 dam educationem refert: se apud Q. Mucium ius civile  
 didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodotum 15  
 Stoicum omnis philosophiae partis penitus hausisse; neque  
 iis doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat,  
 Achaiam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium  
 4 artium varietatem complecteretur. itaque hercule in libris  
 Ciceronis deprehendere licet, non geometriae, non musicae, 20  
 non grammaticae, non denique ullius ingenuae artis scientiam  
 ei defuisse. ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis  
 5 utilitatem, ille rerum motus causasque cognoverat. ita est  
 enim, optimi viri, ita: ex multa eruditione et plurimis  
 artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa 25  
 admirabilis eloquentia; neque oratoris vis et facultas, sicut  
 ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis cluditur, sed  
 is est orator, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad  
 persuadendum apte dicere pro dignitate rerum, ad utilitatem  
 temporum, cum voluptate audientium possit. 30

31 Hoc sibi illi veteres persuaserant, ad hoc efficiendum